



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus XXXVIII. De Procuratoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

TITULUS XXXVIII.

De

Procuratoribus.

QUÆRES 1. Quid sit Procurator? Resp. Procurator est qui aliena negotia mandato domini administrat, l. 1. ff. b. t. d. ff. de negotiorum gestore, quod hic sine mandato aliena negotia curet. l. 2. ff. de negot. gest. à tutore vel curatore, quod hic ejusmodi negotia non mandato domini sed publica auctoritate administrant, à defensore, quod is defensionem solius rei absque mandato, procurator autem etiam actoris mandantis causam suscipiat in iudicio prosequendam. Pyr. b. 1. num. 2. ab Advocato differt in quod officium advocati sit publicum & honorabile l. 2. ff. de Reg. iur. Gl. 3. Cod. de Advocat. Procuratoris autem, potius privatum, vile & onerosum, ut ex textu & gloss. l. 34. Cod. de decurion. delimit Gail lib. 1. observat. 43. num. 5. 2. Quod procurator parti, in his quæ facti sunt, assistat, ad vocatus verò iuxta pactis & merita causæ explicet. 3. Quod advocatus causam male tractans, ex prævaricatione obligetur. l. 1. Cod. de advocat. divers. iud. Procurator autem mandati citatione teneatur. l. 10. Cod. b. t. 4. Quod i procurator lite contestata fiat Dominus litis, cap. 1. b. 1. m. 6. non item advocatus.

QUÆRES 2. Quot modis Procuratores constituuntur? Respond. Variis modis eos constitui, quidam enim constituuntur generaliter ad omnia negotia & lites, quidam specialiter ad certam tantum negotia, vel lites in iudicio prosequendas.

L

Qui

Qui generaliter constituuntur, vel habent adje-
ctam clausulam *cum libera*, vel non; qui cum talis
clausulâ constituti sunt, id ipsum, quod eorum
principales, in causis sive negotiis agere, etiam alie-
nare, non tamen donare possunt *l. 58 ff. b. t. cæterum*
non. Alii constituuntur, vel in rem alienam vel in
rem suam; in rem alienam constituti dicuntur illi
qui alienum negotium, in ipsius constituen-
tis commodum & utilitatem tractant; in rem suam is di-
citur constitutus, qui causam quidem alienam,
utilitatem tamen propriam prosequendam suscipit
l. 33. §. fin ff. b. t. quod tunc fit, quando dominus
actiones sibi competentes procuratori vendidit, vel
alio modo cessit, ut illas in iudicio ipsius quidem
constituentis nomine, in commodum tamen pro-
prium valeat exercere.

QUÆRES 3. Quinam procuratores con-
stituere possint? Resp. Omnes qui jure non prohibe-
bentur tales sunt. 1. Servi, *l. 33. ff. b. t.* quibus ta-
men uno casu, quo scilicet de statu suo litigant, per
se vel per procuratorem agere permissum est: 2. Pu-
pilli, & minores 25. annis sine auctoritate Tutoris
vel Curatoris, *l. 54 ff. de R. I.* 3. Excommunicati ne-
queunt constituere procuratores ad agendum, *cap. fin. b. t.* & *cap. 7. de iudiciis.* ad defendendum autem
constituere debent, ne malitia eorum ipsis pro-
fit, & ne in præjudicium actoris ex pœnâ excommunica-
tionis commodum reportent, quod fieret si huic in iudi-
cio respondere non tenerentur. 4. Religiosi sine li-
centiâ suorum superiorum, *Clement. 3 in fine b. t.*
Exceptis casibus, quibus per se sine licentiâ eo-
rundem agere possunt, si v. gr. superiores ipsam in
iudicio accusando conveniant, *cap. 11, § 26. de accusa-
tion.*

Quæ.

QUÆRES 4. Quinam procuratores constitui possint? Resp. Invitus nemo constituitur procurator, est enim officium privatum, ad quod nemo cogitur; quidam verò etiam volentes rejiciuntur, ut v. gr. minor 25. annis *cap. fin. de procurat. in 6.* Mulier, est enim officium virile: miles, ne eâ occasione à militiâ avocetur, *l. 7 § 9 Cod h. t.* Servus, cum personam standi in iudicio non habeat, furiosus, eò quod consensu careat; similiter mutus & surdus, qui tamen ad negotia procuratores dari non prohibentur, *l. 43. ff. h. t.* & denique excommunicati.

QUÆRES 5. In quibus causis procuratores admittantur? Resp. In omnibus, quæ per procuratores tractari non prohibentur. Est enim hoc edictum prohibitorium, adeoque quidquid non invenitur nominatim prohibitum debet intelligi Concessum, *l. cum prætor. ff. de iudiciis* nominatim autem prohibetur dari procurator in causis criminalibus, si crimi aliter agatur, & quando pœna mortis, vel alia relegatione maior imponenda est, idque tam accusatori quam reo, *l. penult. §. ad Crimen. ff. de publ. iudic. §. cap. 5. de accusationibus.* Ratio ex parte rei est, ne iudicium reddatur elusorium, cum reus ad evitandam pœnam aufugere, in procuratorem autem executio fieri non possit; & quia rei personalis præsentia in iudicio ideò vel maxime desideratur, quod is ex mutatione vultus, ex titubatione vocis, & inconstantia sermonis sapissimè convinci possit, *l. 10. §. 5. ff. de quest.* ex parte verò accusatoris ratio hæc est, quod in accusatione se teneatur inscribere ad pœnam Talionis, hoc est talem, qualis ipsi reo de crimine convicto subeunda

foret, si calumniosè accusasse deprehendatur, *super his, de accusat.* quam poenam, fuga sibi con-
lendo facile evaderet, si per procuratorem accusa-
tio admitteretur; hodiè tamen cum hæc talionis
pœna consuetudine sublata sit, procuratores etiam
in Causis Criminalibus admittuntur.

QUÆRES 6. An Procuratores in con-
tractu matrimoniali constitui possint? Ratio de-
bitandi est, quod matrimonium non tantum sit con-
tractus sed etiam sacramentum, quod inter absen-
tes conferri non posse existimat Cajetan. *opusculo de*
matrim. quest. 1. Sed rectius respondetur matrimo-
nium inter absentes per procuratorem contrahi pos-
se, ita ut etiam in ratione sacramenti validum sit.
Ratio est, quia Christus naturam contractus ma-
rimonialis non immutavit, sed eum validè cele-
bratum, ad dignitatem sacramenti elevavit, cum
ergo matrimonium inter absentes celebratū valeat
in ratione contractus, etiam valebit in ratione sa-
cramenti. Intellige nisi principalis interim à volun-
tate contrahendi recesserit; hoc enim casu, quem
admodum contractus ipse non subsisteret, sic ne
sacramentum esset.

OBJICIES 1. Reliqua sacramenta per pro-
curatorem suscipi nequeunt; ergò nec hoc. Resp.
Conced. anteced. Nego conseq. disparitas est, quod
forma reliquorum consistat in certis verbis, quæ
non nisi de ipsâ personâ principali sacramentum
suscipiente, applicatâ per ministrum materiâ, verifi-
cari possunt. Ministri autem Matrimonii sint ipsi
contrahentes, quod sacramentum non requirit cer-
tam verborum formam, sed consensu contrahitur
etiam signis declarato.

O BII.

OBIICIENS 2. Reliqui contractus per procuratorem celebrati valent; etiam si principalis interim à voluntate contrahendi recesserit; ergò etiam matrimonium. Respond. Conced. anteced. Nego conseq. nam in reliquis contractibus res publica utpote bonorum, suorum Civium Domina, consensum supplere, aut contractum rescindere potest, non item in matrimonio.

QUÆRES 7. Quot modis procuratoris officium exspiret? Respond. Quinque modis, 1. Mutato consensu Domini & ipsius procuratoris. *l. 24. ff. h. t.* 2. Revocatione Domini, lite nondum contestata, post litem enim contestatam cum Dominus litis factus sit, invitus revocari nequit, nisi subsit justa causa. *cap. 2. h. t. in 6. l. 27. ff. eodem* 3. finitâ instantiâ, appellationem enim prosequi non tenetur. *l. invitus. Cod. h. t.* 4. Morte Domini constituentis, re adhuc integra. *l. 15. ff. eodem.* 5. Morte ipsius procuratoris.

QVÆRES 8. An dolus aut negligentia procuratoris noceat Domino? ad hanc quæstionem priusquam respondeam, advertendum est, procuratorem pro alio admittendum non esse, nisi exhibuerit mandatum procuratorium. *cap. 1. h. t.* vel nisi ad minus ante sententiam illud inferat, & interim satisdet, seu caveat. §. *sed hæc inst. de Satvadat. l. 110. §. nemo ff. de Reg. Jur.* hoc obiter notato ad quæstionem. Resp. Si Procurator mandatum procuratorium habeat, ejus dolus & negligentia nocebit Domino, *l. 10. Cod. h. t.* imputare enim sibi debet Dominus, quod non providerit sibi de fideli procuratore, *l. 23. ff. de minoribus,* adeò ut adversus acta

L 3

per

per talem procuratorem, non impetret restitutionem in integrum, cum ordinario remedio illi provisum sit, actione scilicet mandati ad damna & interesse. *Gail. lib. observat. 45.* quod tamen fallit eo casu quo procurator non est solvendo, tunc enim restitutio in integrum conceditur, *l. 7. §. penult. ff. de dolo l. 8. §. 1. ff. mandati.*

QUÆRES 9. Quodnam sit officium procuratoris & quæ ejus potestas? Respond. Officium procuratoris est, ut negotium, quod ad mandatum alterius tractandum suscepit, fideliter administraret, omnia quæ bonum litis eventum promovere possent, bonâ fide agat, nihil ex necessariis omittat, nec quacunque ratione principali suo, dolo vel negligentia præjudicet, *l. procuratoribus l. nulla Cod. h. t. cap. 1. §. 1. h. t. in 6.* Potestas ejus ex mandato procuratorio desumenda est, vi cujus, si in formâ communi concessum fuerit, omnia illa agere potest, quæ ipse Dominus, si præsens esset, pro felici litis terminatione facere posset. *ll. cit.* non tamen quidquam gerere licet procuratori, & iis, quæ mandatum speciale requirunt, ut v. gr. transigere, pacisci &c. *cap. qui ad agendum de procurat. in 6.* unde mandatum suum inspicere, & limites sibi præscriptos egredi non debet. *cap. cum olim de off. & potest. jud. deleg.*

QUÆRES 10. Quæ sit forma constituendi procuratorem? Respond. Procurator dupliciter constituitur, videlicet, à præsentem vel absente. ab absente, si mandatum procuratorium ad judicem dirigat, & actis in sinuet, factâ ejusdem à parte adversâ, agnitione. à præsentem verò si quis præsens in judicio procuratorem eligat, ejusque personam

nam coram iudice confirmet, spondens se ratum habiturum, quidquid ille gesserit. *l. si procuratorem ff. h. t. l. ne satisfactio. ff. rem ratam habere.* Qui procurator ad acta dicitur.

QUÆRES II. Quis sit procuratorii effectus? Resp. Est effectus duplex, unus se tenet ex parte principalis, alter ex parte procuratoris; effectus ex parte principalis, est actio mandati directa, quæ datur Domino contra procuratorem ex variis causis. *l. 42. §. 2. ff. h. t. l. 8. ff. mandati.* ideo autem potissimum actio hæc Domino conceditur ut is procuratorem de damno sibi dolo vel culpa causato convenire possit. Effectus ex parte procuratoris est actio mandati contraria competens procuratori adversus principalem suum ad consequendum id, quod Mandato Domini bona fide expendit. *cap. cum pro causâ. b. t. can. quicumque. caus. 12. quest. 4.* uti & salarium. *l. salarium ff. mandati. l. salarium Cod. eodem l. sumptus ff. de pactis.*

OBIICIES. Ergo si procurator sine mandato aliquid expendit, non consequetur illud? Respond. Non consequetur illud actione mandati, cum mandatum deficiat, sed actione negotiorum gestorum, cum æquitas postulet, ut officium suum nemini sit damnosum. *l. sed si quis. ff. quemadmodum testamenta, &c.*

QUÆRES 12. In quâ formâ expediendum sit mandatum procuratorium? Resp. Ut mandatum sit legibus conforme, & exceptionibus nequeat enervari, continere debet I. Nomen constituentis, ut sciri possit, an persona constituens jus habeat constituendi quod, ut superius dictum, non competit excommunicato. *cap. fin. de procurat.*

Nec pupillo vel minori, sine auctoritate tutoris vel curatoris. *l. 1. Cod. dict. tit.* 2. Continere debet nomen procuratoris. *l. 65. ff. de procurat.* ut iudex cognoscere possit, an constitutus procuratoris officio fungere possit, quod non licet excommunicato, nec minori. *cap. 7. de probat. cap. 7. de iudiciis.* 3. Exprimi debet nomen partis adversæ, contra quam procurator constituitur. *l. 6. ff. de procurat.* 4. Exprimenda est causa, ob quam in iudicio vel motam vel movendam mandatum conceditur. *dict. l. 65. ff. de procurat.* 5. Inferendum est nomen iudicis, coram quo lis ventilanda erit. *cap. 10. de procurat.* 6. Requiritur expressio diei & anni. *cap. fin. de procurat.* 7. Necessaria est insertio clausulæ, quod constituens ratum habeat, quidquid procurator egerit. *dict. l. 6.*

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

QUÆRES I. Quid sit Syndicus? Respon-
Est procurator publicus, qui communi universitatis mandato, causas & lites ejusdem administrat. *l. 1. §. tot. tit. ff. quod cujusque universitatis.* qui quidem similis est procuratori, in hoc quod negotia aliena administrat, & non nisi causâ cognitâ mutari aut removeri possit. *l. 6. §. fin. ff. b. t.* differt autem in eo, quod procurator hominum privatorum, Syndicus autem omnium de collegio collegarum sumptorum causas communes & publicas prolequa-